

## Articulus Primus.

### *De nova Dicæ et impositionis Regni Repartitione.*

Post zelosam non minus ac facundam eamque Paternam Excellentissimi, Illustrissimi et Reverendissimi Domini Locumtenentis et Praelati, ad Dominos Status et Ordines de felici eorundem praesenti Congressu, atque mutua et unanimi in Bonum Publicum intensione factam Allocutionem et adhortationem, intellectasque de more Litteras Credentiales, tandem Novam Impositionis Regni repartitionem ipsis Inclutis Dominis Statibus et Ordinibus in Actuali eorundem Generali concessu elaborare placuit formalitate sequenti.

(*Caeteris exmissis.*)

## Articulus Vigessimus Primus.

*De benignis Suae Sacratissimæ Imperatoriae et Regiae Majestatis, tam circa Politica, Juridica item, et Cassam Domesticam concernentia, quoad reincorporatos Comitatus ex-*  
*tradatis dispositionibus.*

Ut reincorporati Slavoniae Comitatus tam circa Politica, juridica item, et Cassam Domesticam, sese juxta Benignam Suae Caesareo-Regiae Majestatis, in publico lectam et Prothocollo Regni inferendam, resolutionem, genuine et punctualiter accomodare valeant, cum iisdem praemissa benigna resolutio communicanda veniat.

Maria Theresia, Dei gratia Romanorum Imperatrix, ac Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Slavoniaeque etc. Regina, Archi-Dux Austriae.

Reverendi, Honorabiles, Spectabiles ac Magnifici, item Egregii et Nobiles, nec non prudentes ac circumspecti, Fideles Nobis dilecti. Posteaquam anno praeterito fidelem nostrum Spectabilem ac Magnificum Comitem Alexandrum Patachich, Camerarium et Consiliarum Nostrum Regium Hungarico-Aulicum, qua visitationis Commissarium nostrum ad neo-incorporatos Syrmij et inferioris Slavoniae Comitatus, fine eo, ut videlicet ex praevie jam peractis antelatorum trium Comitatum Conscriptionibus novam et rectam proportionem, et onerum publicorum repartitionem elaboraret, de formanda etiam in singulis Comitatibus cassa domestica (si nondum factum esset) curam habeat, an item Lineae Confinariae, in ductu Suo per Commissionem Incorporationis facto, rite subsistant, informationes capiat, num demum et qualiter Comitatum Magistratus Instructiones suas observaverint, perquirat et investiget, ac super omnibus et singulis Nobis Relationem faciat, benigne exmissemus; idemque Comes abinde redux Nobis praeterito mense Octobri humillimam Relationem suam exhibuisset desuper in ordine ad Politica, et Juridica, cassamque domesticam concernentia, sequentia clementer resolvimus:

Ut pro sublevamine Subditorum seu Contribuentium illorum Comitatum ratione Cassae domesticae, juxta hucce annexum schema, annue insimul ad viginti septem Mille eventualiter computatae, Camera nostra Regia ex Contributione, a locis in Comitatu Bachiensi noviter incorporatis levanda, assignet, per